



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs LII. Quid gloriaris in malicia? &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Tunc tibi, qua imponent sancti, sacra donaplace-
Gaudebis caso sic boue, iuste Deus. (bunt,

PSALMVS LII.

Quid gloriaris in malicia? &c.

Acta cur propter mala gloriaris?
Effer a quid mente agitas, Tyranne,
Spiritus tantos, quibus intumescens
Diraminaris?

A suis clemens Deus haud recessit,
Durat eterno bonitas Iehoua.
Seculo, mitis manet, & benignus
Ioua perennis.

Tu tamen pergis mala machinari,
Pessimam linguamq; acuis nouacla
Instar, ut sanctis noceat, piosq;
Vulnere ledat.

Pro bono prauum loqueris, Tyranne,
Falsa pro veris loqueris, maligne,
Cuncta moliris mala, cuncta damnas
Ore doloso.

Te sua dextra feriens, Iehoua,
Ædis expertem faciet sacrata,

Vt

*Vt vagus toto & fugitiuus erres
Exul in orbe.*

*Talibus pœnis quoties videbunt
Te pii oppressum: magis hinc timebunt
Vindicem Iouam, tibiq; exprobrabunt
Impietatem.*

*Sic enim dicent: Adeone spreuit
Iste vir fidens opibus, Jehouam,
Vt suo semper fore se putaret
Robore tutum.*

*Instar at pinguis viridisq; oliua,
In tabernaclo Domini manebo,
Me Deo credens, Dominoq; fidens
Pectore toto.*

*Gratias semper referam Iehouæ,
Qui suis præsto est ope perbenigna,
Et tuum digno celebrans ubiq;
Nomen honore.*

PSALMVS LIII.

Dixit insipiens in corde suo, &c.

Insipiens animo concepit talia dicta:
Non est Deus, qui crimen vllum vindicet.